



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 65. Et qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. v. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

minus necessarios, cum sint custodes pecuniarum, quibus amotis ipsi nullius usus efficiuntur. Deinde post hoc peram, quo nomine omne vensile extra vestimenta notatur, Denique tunicam, quo nomine pene supreme necessaria iudicantur. Ecce Domine, ita te intelligo, & tuam iterum sapientiam & laudo & admiror, & quantum possum de prædico.

§. 65. Et qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. v. 36.

De horum verborum sensu, iam liquet ex dictis in præcedenti §. quid igitur hic amplius potest dici vel cogitari? Hoc mirum videri, quod Dominus ordinans suum Testamentum, seu supremam dictans voluntatem suam, iubensque per suos emi gladium, etiam veste sua divedita, paulo post in hortu venierit Petrum, unum, imò maximum, ex suis uti gladio! quid enim est hoc eme gladium tanto dispendio tuo? & noli uti gladio ad id ad quod creatus est? non enim Petrus utebatur gladio iussu emi, ad viatores spoliandos, vel ad invadendas alienas domos vel pecunias, ut multi solent, sed ad hostem Dei & Ecclesie propulsandum ac puniendum.

Domine, nescio ista conciliare nisi tu suggeras. Doce me, & ego audiam te. quid igitur audio. Et bene te iussisse, ut emeretur gladius, & bene te prohibuisse usum gladii Petro, aliud enim est gladium emere, & aliud gladio uti. emptio enim licita & suavis esse potest, usus emptæ rei aliquis illegitimus esse potest. An igitur usus gladii à Petro in Malchum illum nequiculum & latrocinantem districti erat malus aut illegitimus? Vtique, quia iure est inhibitus? & quare erat iste usus illicitus? Testamentum, in quo emptio gladii ad certos casus Ecclesie erat suasa, vel mandata, & consequenter rationalis eius usus imperatus, erat, nondum erat consummatum morte testatoris, qui eras tu ipse Domine, Petrus vero ante tuam mortem iam exequi volebat quod in testamento tuo dictaueras. Hoc malum erat, post mortem tuam malum non erat. Gratias ago tibi Domine pro eo, quod hoc revelasti mihi, qui doees parulos scientiam, amplius obsecro illumina me.

§. 66. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est oportet impleri in me. v. 37.

Disposuerat Dominus testamento suo, de bonis temporalibus Ecclesie suae obuenturis, etiam dictauerat, quomodo ea in necessitate essent tractanda, nempe alienanda, ut Ecclesia sua armis prælatorum defenderetur, quando via iuris eis obstruitur. Hoc verbum cum discipuli Domini, nondum à spiritu S. illuminati audissent more naturæ humanæ, confestim